

18	AAS XXVI (1934) 493-494	Can. 236 §1 et 2 — can. 239 §1 n. 12, 13 et 24 — can. 506 §2 — can. 646 §2 — can. 672 §1 — can. 646 — can. 883 §1
----	-------------------------	---

Pontificia Commissio ad Codicis canones authentice interpretandos 493

ACTA OFFICIORUM

PONTIFICIA COMMISSIO AD CODICIS CANONES AUTHENTICE INTERPRETANDOS

I

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eī Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

DE PRIVILEGIIS S. R. E. CARDINALIUM

D. I. An, ad normam canonis 236 § 1 et 2, S. R. E. Cardinalis, ex ordine diaconali transiens per optionem ad ordinem presbyteralem decennio nondum expleto, locum obtineat ante Cardinales presbyteros, qui post ipsum creati sunt.

II. An, vi canonis 239 § 1 n. 12, 13 et 24, S. R. E. Cardinales in Basilicis patriarchalibus Urbis uti possint baculo pastorali, benedicere populo more Episcoporum, et concedere indulgentias ducentorum dierum.

R. Ad I. Affirmative.

Ad II. Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, d. 29 mensis Maii anno 1934.

P. Card. GASPARRI, *Praeses.*

L. ☩ S.

I. Bruno, *Secretarius.*

II

RESPONSA AD PROPOSITA DUBIA

Eī Patres Pontificiae Commissionis ad Codicis canones authentice interpretandos, propositis in plenario coetu quae sequuntur dubiis, responderi mandarunt ut infra ad singula:

I. -- DE SECTAE ATHEISTICAE ADSCRIPTIS

D. An ad normam Codicis iuris canonici, qui sectae atheisticae adscripti sunt vel fuerunt, habendi sint quoad omnes iuris effectus etiam in ordine ad sacram ordinationem et matrimonium, ad instar eorum qui sectae acatholicae adhaerent vel adhaeserunt.

R. Affirmative.

II. -- DE ELECTIONE ABBATISSAE

D. Utrum verbum *praeesse*, de quo in canone 506 § 2 et interpretatione diei 24 Novembris 1920, intelligendum sit de praesidentia honoris, an iurisdictionis.

R. Negative ad primam partem, affirmative ad secundam.

III. -- DE RELIGIOSIS DIMISSIONIBUS

D. I. An declaratio facti, de qua in canone 646 § 2, requiratur ad hoc ut Religiosus ipso facto habendus sit tanquam legitime dimissus.

II. An praescriptum canonis 672 § 1 extendatur etiam ad Religiosos ipso facto dimisso ad normam canonis 646.

R. Ad I. Negative.

Ad II. Negative.

IV. -- DE CONFESSIONE NAVIGANTUM

D. An sub nomine *Ordinarii*, de quo in canone 883 § 1, veniant etiam Superiores maiores Religionis clericalis exemptae.

R. Negative.

Datum Romae, e Civitate Vaticana, die 30 mensis Iulii anno 1934.

P. Card. GASPARRI, Praeses.

L. ☦ S.

I. Bruno, *Secretarius*.